- Distinctio
  - realis
    - major, realis-realis, realis simpliciter, entitativa
    - modalis
    - virtualis
  - rationis seu logica
    - rationis ratiocinantis
    - rationis ratiocinatae
      - major
      - minor

Distinctio realis. Carentia identitatis inter plura independenter et antecedenter ad mentis considerationem, ut distinctio quae est inter duo individua, inter animam et corpus &c.

Distinctio rationis seu **logica.** Carentia identitatis rebus tributa per solam mentis considerationem et ab ipsa mentis consideratione pendens; ita animalitatem et rationalitatem in homine per mentem distinguimus quasi duas res, quae tamen in homine non sunt duae res, sed una; unum enim est vitale principium, unde simul homo est animal rationale.

Distinctio rationis ratiocinantis. Distinctio a mente facta in re aliqua, quin res ipsa proximum fundamentum praebeat ad talem distinctionem; ut si distinguamus rationem *subjecti* vel rationem *praedicati* in aliqua re.

Distinctio rationis ratiocinatae. Distinctio a mente facta in re aliqua, quae, quamvis una et indivisa in se, praebeat tamen fundamentum proximum distinguendi plures in ipsa formalitates. Ita anima humana una est essentia formaliter, et tamen triplex virtute, quia ipsa sola in homine facit quidquid faciunt aliae inferiores formae in brutis, plantis et corporibus.

Veritas metaphysica seu **ontologica** seu **objectiva.** Est veritas prout de rebus ipsis affirmatur. Ipsa etiam est adaequatio intellectus et rei; sed ut res est *logice* vera quia intellectus *adae-*